



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manuale Episcoporum Pro Decretis in
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

V

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

Pœnitentiario, sed pro Theologo, ex *Trid. sess. 5. cap. 1.* si fiat secus, habenda est confirmatio à Papa.

- 4 Præbenda debet esse integra, decisum refert *Garz. loco cit. num. 128.*
- 5 Si vacaret præbenda insufficientis, potest Episcopus, altera vacante, ambas applicare Theologo, dummodo canonici habeant sufficiens stipendium. *Cong. conc. 16. Febr. 1619.*
- 6 Canonicus Theologus, qui resignavit in manu Ordinarij præbendam Theologalem, potest obtinere mediante optione pinguiorem præbendam cum retentione sui stalli in choro. *Congreg. Rit. 2. Sept. 1597.*
- 7 Stante consuetudine in Cathedrali, vt per quemlibet Canonicum habentem præbendam Canonicatui annexam obtineatur vna ex Dignitatibus in eadem Ecclesia, quæ nullum habet emolumentum, sed solus sedet supra canonicos, potest canonicus Theologus dictam Dignitatem obtinere. *Cong. conc. 18. No. 1628.*
- 8 Theologus sedet in loco sui canonicatus, decisum refert *Garz. in addit. ad par. 5. cap. 4. num. 111.*
- 9 Potest Episcopus cogere Theologum ad legendum vsque ad priuationem præbendæ, decisum refert *Barbos. de canon. cap. 27. num. 30.*
- 10 Si ex infirmitate non potest legere, nõ tenetur ponere substitutum; quando vero est ponendus, electio est Episcopi, decisum refert *Garz. par. 5. cap. 4. n. 159.*
- 11 Non solum lucratur distributiones legitime ob lectionem absens, sed etiam emolumenta alia interessentibus dari solita. *Cong. conc. 12. Aug. 1628.*
- 12 Ad hanc lectionem sacre scripturæ tenetur clericus accedere, & ab Episcopo potest cogi. *ead. 11. Aug. 1618.*

Torneamentum.

- 1 **T**aurorum, & ferarum agitatio prohibita fuit sub pœna permittentibus excommunicationis ipso facto. *Pius V. Anno 1567.*
- 2 Qui obierit ibi cum feris congregiendus careat ecclesiastica sepultura idẽ *ibid.*
- 3 Clerici, si intersint, siue beneficiati, siue in sacris, excommunicatione puniuntur. *ibid.*

niuntur. *ibid.*

- 4 Ordinariis præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ, vt impediunt pœnis & censuris. *ibid.*
- 5 In Regnis Hispaniarum prædictæ pœnæ sunt reuocatae his conditionibus; ne fiat in diebus festis, & ita, vt non possit alicuius mors sequi. *Greg. XIII. Anno 1575.*
- 6 In iisdem Regnis eadem concessit *Clem. VIII.* adhortans clericos, ne hac benignitate abutantur. Anno 1596.
- 7 Aliquo ibi occiso, vel mutilato, irregulares sunt omnes qui illuc fuerant causa pugnandi, licet non occiderint, aut mutilauerint. *Syluest. V. Torneamentum.*
- 8 Episcopus dispensare poterit cum iisdem *ibid. V. Sepultura. num. 23.*

Tutela.

- 1 **M**iserabilium personarum omnes Religiosi, Clerici, & Episcopi tenentur recipere tutelam. *Sylu. Tutela 9. 3.*
- 2 Episcopi non per se ipsos, sed per Archipresbyterum, vel Archidiaconum. *idem ibid.*

Vicarius Capitularis.

Vide Capitulum sede vacante.

- 1 **D**eputatus in causa hæresis debet attingere annum ætatis suæ quadragesimum; alias gesta per eum nulla. *Sbroz de Vic lib. 1. quest. 55. num. 8.*
- V. Archidiaconum. num. 8. Concilium Provinciale. num. 11. 54. Matrimonij impedimenta. num. 29. Præcedentia. n. 30.*

A D D I T I O.

- 1 **N**on debet occupare sedem primæ Dignitatis, sed aliam sedem portatilem. *Cong. Rit. 11. Apr. 1601.*
- 2 Non potest dare licentiam erigendi noua Monasteria. *Cong. conc. 19. Fe. 1633.*

Vicarius foraneus.

- 1 **A**d hoc munus eligantur Archipresbyteri, Archidiaconi, & Præpositi, aliue in dignitate ecclesiastica constituti sin minus Rectores, qui sunt apti. *Prou. 2.*

2 Et

- 2 Et possunt amoueri arbitrio Episcopi dabuntque pœnas, si malè se gesserint. Prou. 1.
- 3 Detur illis iurisdicctio in causis ciuilibus pro moderata summa; & in criminalibus possint capere infortationes ad Vicarium Generalem transmittendas. Cong. Episc. 9. Iunii 1592.
- 4 A Vicatio foraneo datur appellatio ad Episcopum. DD. apud Barb. *all. 54. n. 22.*
- 5 Nullam habet præcedentiam super alios ipso antiquiores in Clero, ratione huius officij. Congr. Rit. *sepè, & nuper 30. Iunii 1629.*
- 6 Exceptis Congregationibus, quas ipse facit, in quibus sedet primus. eadem 20. Decem. 1603.
- 7 Conuentus Cleri singulis mensibus cogantur, vt de Cleri conuentu diximus. Prou. 2.
- 8 Librum custodiant, in quo quæstionum explicandarum, & explicatarum conclusiones approbatæ ab Episcopo describantur. *ibid.*
- 9 Visitent Regionem quisque suam à die sancti Martini vsque ad festum Sancti Ambrosij, nisi longiori tempore sit opus. Prou. 5.
- 10 Ante primam Dominicam Aduentus mittant ad Episcopum indicem Parochorum, quibus minus idoneis ad concionem dandus erit concionator in Quadragesima. Prou. 7.
- 11 Hebdomada penultima ante Septuagesimam conueniant omnes coram Episcopo, nisi aliud præscribatur. Prou. 5.
- 12 Antequam veniant, congregatis Parochis sibi subditis, colligant ea, quæ referre debent Episcopo. *ibid.*
- 13 Cum redierint, quisque suos iterum conuocet, moneatque de quibus iusserit Episcopus. *ibid.*
- 14 Feria secunda post oct. Paschatis, si dies festus non est, alioquin prima die feriali, iterum conuocent Parochos, & colligant, si quæ inciderint post Domin. Septuag. & quæ item ad Episcopum pro Synodo referri oportebit. *ibid.*
- 15 Et licet Synodus non habeatur, ob aliquam causam, prædicta tamè ne omitantur. *ibid.*
- 16 Publicatis interdictis ijs, qui non comunicarunt in Paschate, curent trans-

mitti eorum nomina ad Regulares, vt sciant. Prou. 7.

ADDITIO.

- 1 Non potest prohibere concanonicos, ne capitulum faciant sine sua licentia contra vsum Ecclesiæ. Congr. Rit. 16. Dec. 1616.
- 2 Nihil illi detur in funeralibus ratione Vicariatus. ead. 7. Octob. 1627.

Vicarius Generalis.

- 1 Non potest Episcopus creare Vicarium ante apprehensionem possessionis Episcopatus. Sbroz. *de Episcopi Vicario lib. 1. quæst. 46. num. 15.*
- 2 Tenetur autem eum creare, adcepta possessione, & potest cogi. idem *ibid. num. 3.* nimirum à Metropolitano, dato certo termino.
- 3 Statuto termino, & elapso, potest creari ab Archiepiscopo. idem *quæst. 57. ex Trid. sess. 24. cap. 16.*
- 4 Alij negat, teneri Episcopum ad electionem Vicarii, apud Barb. *all. 54. n. 125.*
- 5 Debet esse clericus, saltem primæ tonsuræ. DD. communiter apud Barb. *loco cit. num. 4.*
- 6 Non clericus coniugatus. *ibid. n. 6.*
- 7 Non bigamus. *ibid. n. 11.*
- 8 Non is qui fuit iudex maleficiorum. Sbroz. *loco cit. quæst. 41.*
- 9 Non obligatus ad residentiam, beneficij gratia. Prou. 5.
- 10 Deberet esse Subdiaconus saltem. Prou. 6.
- 11 Annorumq; 25. ætatis saltem. Sbroz. *loco cit. quæst. 35.*
- 12 Expedi, cum esse alienæ Diœcesis. Prou. 5.
- 13 Non creet Episcopus sub annuo censu sibi dando. Sylu. *Vicarius quæst. 7.*
- 14 Sed illi constituat salarium. idem *ibid.*
- 15 Potest Episcopus ad expediendas causas constituere duos principales Vicarios, dummodo tamen ij sint in loco, vbi sedem habet. Barbos. *loc. cit. n. 126.*
- 16 Ex quo fit, vt nō possit creare duos Vicarios generales in principalibus locis duarum Diœcesum, æquè principaliter

- ter vnitatum. idem num. 129.
- 17 Luret antequam officium. suscipiat in manibus Episcopi ad præscriptam formulam. Prou. 5.
- 18 Ordinarium habet iurisdictionem. Barb. loc. cit. n. 26. 37. negant alij num. 39.
- 19 Est in dignitate ecclesiastica constitutus. *ibid.* num. 135.
- 20 Et potest ideo esse Papæ delegatus. *ibid.* num. 132.
- 21 Præcedit Archidiaconum. num. 144.
- 22 Et alios. *V. supra. Præcedentia à n. 22.*
- 23 Habet facultates Episcopales, prout in mandato Episc. Barb. à nu. 66. ad seqq.
- 24 Non datur appellatio ab eo ad Episcopum. *ibid.* num. 46.
- 25 Nihil numeris accipiat ab ijs, qui coram eo causas agunt. Prou. 3.
- 26 Neque pecuniæ quicquam pro visione scripturarum. ad causas, quæ apud eum aguntur. *ibid.*
- 27 Gratis omnia dentur etiã quoad scripturam. Prou. 4.
- 28 In absolutione ab excommunicatione. si non est sacerdos, latius esset eam committere Sacerdoti. Sbroz. lib. 2. quæst. 172. nu. 10.
- 29 Episcopo excommunicato, & denunciato, suspenditur iurisdictione Vicarii. Barb. loco cit. num. 146.
- 30 Expirat per mortem Episcopi ciuile, seu naturalem. *ibid.* 151.
- 31 Neque potest causas inceptas prosequi. num. 156.
- 32 Non potest petere salariam non conuentum à successore, pro seruitio præstito. prædecessori. idem num. 179.
- 33 Non syndicatur. Gregor. XIII. Ann. 1578. apud Gen. in prax. c. 58. non. edition.
- 34 Potest puniri ab Archiepiscopo. Syl. Vicarius quæst. 4. Quintum.
- V. Canonicoꝝ distributiones n. 55. Canonice muneræ erga Episcopu. n. 24. Capitulu. n. 1. & 5. Conservatores. n. 6. Functiones Episcopales. n. 7. 21. Index synod. n. 7. Litteræ dimissoria. n. 5. Matrimonij impedimenta. n. 22. 26. & seqq. Missæ ritus. n. 11. 19. Missæ Conuentualis. nu. 26. Præcedentia. n. 22. & seqq. Processio. nu. 6.*

A D D I T I O.

- 1 Absente Episcopo, habet primum locum super omnes Dignitates, non obstante consuetudine. Congr. Rit.

7. Aug. 1610. 20. Dec. 1614. 13. Jul. 1619.

2 Vicarius, & Canonicus simul debet sedere in suo loco canonicali. Abbas, & alij cum Barbos. de canonicis.

Vicarius perpetuus.

- 1 Episcopus instituat Vicariu perpetuum, vbi est opus. Trid. sess. 7. c. 7.
- 2 In ijs, quæ curam habent animarum translata in Vicarium perpetuum, assignetur eidem congrua portio fructu, arbitrio Ordinarij. idem sess. 25. c. 16.
- 3 Secus, cum primum vacauerit, percessum, seu decessu Vicarij, aut Rectoris, cesset Vicariæ nomẽ, & beneficiu prius recipiat animarum curam. idem *ibid.*
- 4 Portio assignanda Vicario perpetuo ne sit maior centum, neque minor quinquaginta scutoru, computatis etiam incertis percipi solitis. Pius. V. An. 1567.
- 5 Constituat in pecunia, seu fundo stabili, & habita ratione redditu, & onerum loci, nisi tamen valor annuus ipsius Parochialis vnitæ minor sit quinquaginta scutis. *ibid.*
- 6 Et tunc sufficit assignare omnes fructus Vicario perpetuo. *ibid.*
- 7 Vicarius perpetuus tenetur accipere à Sede Apostolica nouam provisionem suæ deputationis. *ibid.*
- 8 Eiusdẽ electio non est libera Ordinarij, sed ad nominationem eorum, quoru sunt Ecclesiæ vnitæ, cum examine, & approbatione Ordinarij. *ibid.*
- 9 Onera parochialia ad Vicarium perpetuum spectant, nulla ex parte ad Ecclesiam, monasterium, seu locum piu, quibus vnitæ est Parochialis. Congreg. Conc. 27. Mart. 1594.
- 10 Non potest Vicarius perpetuus instituire sibi alium Vicarium perpetuum. Sylu. Vicarius quæst. 2. Secundum.
- V. Parochorum Residentia, & Munera.*

A D D I T I O.

- 1 Non potest Episcopus constituere Vicarium perpetuum, quando à tempore immemorabili vnio facta est, & ex tunc constat Vicarius fuisse amouibiles, consentientibus ordinariis. DD. cum Barb. de iure Eccl. l. 3. c. 6. nu. 6.
- 2 Neque quando vnio facta est per viã concordia à sede Apostolica approbata. *ibid.* num. 8.

- 3 Neque quando beneficium vnitum sit Monasterio Monachorum, aut Mendicantium, *Pius V. 1. Nouemb. 1567. apud Quar. V. Vicarius perpetuus.*
- 4 Neque quando ex priuilegio remunerationis causa concessio beneficium sit vnitum cum claufula ponendi Vicarium amouibilem. *Barb. loc. cit. nu. 10.*
- 5 Neque quando pro bonis pacis, & cessatione litium, rectaque gubernatione expedit nihil innouari. *ibid. nu. 11.*
- 6 Neque quando adest priuilegium concessum post Conc. Trid. instituendi Vicarium amouibilem, nisi abusus irrepit. *ibid. nu. 12.*
- 7 Eleemosinæ Altarium, funerum, & similibus non debent numerari in congrua portione. *ibid. nu. 44.*
- 8 Vicarius perpetuo adscriptus Ecclesiæ cathedrali est de corpore cathedralis, & consequenter incedit sub illius Cruce. *Cong. Rit. 21. Mar. 1609.*

Violenta manus in Clericum.

- 1 **M**odica percussio est pugni, palmae, manus, pedis, digiti, baculi, lapidis, quæ ad fluorem, mutilationem membri, fractionem dentis, depilationem capillorum non modicam, vel effusionem sanguinis non excedit. *Io. XXII. apud Nau. in man. c. 27. n. 92.*
 - 2 Factum tamen, facti qualitas, percussendi modus, & iniuriandi, circumstantia loci, personæ, attendantur. *ibid.*
 - 3 Loci, vt in theatro, vel foro, coram Prælato, vel Iudice, in Ecclesia coram multis, vel in alio loco publico. *ibid.*
 - 4 Personæ, vt magister, iudex, Prælati, pater, patruus, vel quis in dignitate, vel personatu constitutus, ab inferiori, vel humili. *ibid.*
 - 5 In dubio citra metas potius est decernendum, quam vltima. *ibid.*
 - 6 Percutiens Episcopum nondum consecratum, non incurrit in Bullam Cæna. *Nauat. man. ca. 27. nu. 67. V. Absolutio. à nu. 16. Casus referu. nu. 3. Excommunicatio. nu. 52. Atornalium cura spirituales. nu. 2.*
- A D D I T I O.
- 1 **P**riuilegio canonis gaudent clerici, de quibus supra. Clericus: à nu. 18. ad 20.
 - 2 Regulares omnes, Nouitii, & conuersi. *DD. communis.*
 - 3 Equites S. Io: Hierosol. S. Iacobi, Alcantara, & Calatrava. *Barbos. de iure Eccl. l. 1. cap. 398. 1. num. 24.*
 - 4 Non gaudent mulieres intrantes Monasteria, in quibus religio non est approbata. *Idem ibid. num. 18.*
 - 5 Neque Tertiarij, qui in propriis domibus habitant. *ibid. num. 22.*
 - 6 Neque Eremitæ, qui vagi dicuntur, nec definitum, aut firmum vitæ modum, neque specialem obligationem Ecclesiasticam habent. *ibid. nu. 23.*
 - 7 Propinans venenum moniali grauidæ, vt abortiat, ea consentiente, non incidit in pœnam canonis. *ibid. nu. 37.*

Visitatio Episcopi.

- 1 **E**piscopus tenetur visitare per se, vel Vicarium Generalem, vel alios idoneos Viros. *Trid. sess. 24. cap. 3.*
- 2 Singulis annis, vel saltem vt tota visitatio biennium compleatur. *idem ibid. quàm celerrimæ, inquit.*
- 3 Arbitrio tamen Episcopi relinquitur, modo non grauentur nimium visitandi. *decisum refert Barbosa. alleg. 73. num. 39.*
- 4 Visitare debet Cathedralē, Collegiatas ecclesias cum domibus Canonico-rum, Parochiales, beneficiatas, & aliàs sibi subiectas, facella, oratoria, confitatrias. *Trid. sess. 22. c. 8. 2. sess. 6. ca. 4.*
- 5 Item Hospitalia, & loca pia. *Idem. sess. 22. cap. 8.*
- 6 Non ea quæ sub immediata Regum protectione. *ibid.*
- 7 Capellas regias visitare potest habentes curam animarum circa eandem curam, *Congr. Episc. 27. Iun. 1618.*
- 8 Collegia quæcumque, etiam instituta pro sustentatione studentium pauperum. *Garz. part. 5. cap. 1. nu. 612.*
- 9 Si oriatur duciū, iudex est Episcopus, vel visitet vt delegatus Sedis Apostolicæ. *idem ibid. Barb. alleg. 75. nu. 20.*
- 10 Item Monachorum, & Regularium Ecclesias, vbi est animarum cura. *Trid. sess. 2. cap. 7.*
- 11 Etiam equitum Hierosolymitanorum. *decisum refert Vilagut. in spec. Visi-*

- Visitatorum. num. 6.*
- 12 Non autem monasterium cum animarum cura, ubi habitat Generalis Ordinis. Trid. *sess. 25. c. 11. de regular.*
- 13 Vnitas monasterii, quæ habent iurisdictionem cum animarum cura, potest Episcopus visitare circa curam. decisum refert Barbof. *alleg. 74. nu. 14.*
- 14 Vnitas illi monasterio, in quo habitat Generalis Ordinis, habetis curam animarum. decisum refert, idem *ibid.*
- 15 Item Ecclesias, quæ sunt nullius Diocesis Episcopus vicinior. Trid. *sess. 24. cap. 9.*
- 16 Si dubitatur de viciniore, quis sit, in Concil. Prouinciali eligat Prælati loci idoneam personam. Fuscus *de visit. lib. 2. cap. 8. num. 2.* ex Trid. *ibid. cap. 9.*
- 17 Et electione semel facta, à successoribus non potest mutari. decisum refert Vilagut *loc. cit. nu. 7.*
- 18 Distantia verò est mensuranda ab ipsa Cathedrali ecclesia ad locum exemptum. decisum refert idem *ibid.*
- 19 Potest item visitare monasteria viro- rum, ubi non viget regularis obseru- antia. Trid. *sess. 21. cap. 8.*
- 20 Non tamen Prioratus equitum Hierosolymitanorum. idem. *sess. 7. cap. 8.*
- 21 Potest & ea, in quibus non habitant duodecim, erecta post decretum Urb. VIII. *de Celeb. miss. 21. num. 1625. ibid.*
- 22 Item monasteria commodata, perpetuò vnita alijs Ecclesijs, vel pijs locis, etiam sub regulari protectione Cong. Conc. *ad sess. 21. cap. 8.*
- 23 Item Confraternitates laicorum erectas in Ecclesijs Regularium non obstante quacumque contraria consuetudine. Congr. Episc. 17. *July 1615.*
- 24 Non capellas earum in iisdem Ecclesijs. decisum referunt DD. apud Barbof. *alleg. 75. num. 13.*
- 25 Potest cogere earum administratores. decisum refert Gratian. *decis. 138.*
- 26 Item quacumque loca pia, non erecta auctoritate Episcopi, vt mandentur executioni opera pia relicta. decisum refert Barbof. *alleg. 75. num. 14.*
- 27 Monasteria Monialium Episcopo subiectarum. DD. communiter.
- 28 Item Monialium non subiectarum Episcopo, circa clausuram. Trid. *se. 25. c. 5.*
- 29 Licet antea nunquam visitata fuerint. Congr. Episc. 24. *Nov. 1617.*
- 30 Etiam alieno Episcopo sint subiecta. decisum refert Barbof. *alleg. 102. num. 6.*
- 31 Et interrogare potest Episcopus de pertinentibus ad clausuram. Congr. Episc. 25. *Febr. 1583. V. ide supra Monial. clausura. à nu. 56.*
- 32 Quod attinet ad personas visitandas, excipe Canonicos exemptos, nisi ad formam. Trid. *sess. 25. cap. 6.*
- 33 Item sub collectores Camera Apostolica, & officiales sedis Apost. decisum refert Gonzal. *ad reg. 8. Cancellar. gloss. 51. nu. 81. 82.*
- 34 Et alios clericos exemptos, si qui sunt, vt patet.
- 35 Ordinem, & modum visitandi edidit auctor huius operis. in *Praxi compendiarie visit. Episc.*
- 36 Peccat Episcopus, qui in visitatione aliqua ratione non præcedat populo. Caiet. *V. Episcoporum peccata. Genuen. in Man. pastorum. cap. 34. num. 3.* nisi aliunde excusetur.
- 37 In prima visitatione potest inquirere circa Bullas beneficiorum, litteras testimoniales ordinum sciētiam, & approbationem confessoriorum, cæremonias Missæ, & eiusmodi: in alijs visitationibus non item. Cong. Ep. 23. *Aug. 1593.*
- 38 Non potest Episcopus iubere edicto, vt detegat subditi occulta delicta, multoque minus proposita pœna excommunicationis decisum refert Barbof. *alleg. 72. num. 29.*
- 39 Vbi de motum correctione agitur, exemptio, aut vlla inhibito, appellatio, quærela interposita, etiam ad sedem Apostolicam, non potest impedire, aut suspendere executionem decretorum. Trid. *sess. 24. cap. 10.*
- 40 Non potest Episcopus in visitatione recusari tamquam suspectus, nisi modum excedat. decisum referunt DD. apud Barbof. *alleg. 73. num. 38.*
- 41 Potest exigere cathedraticum in visitatione, quod singulis annis exigi solet. decisum refertur *ibid. num. 44.*
- 42 Administrationis locorum piorum, & Confraternitatum reddenda est ratio Episcopo, si admittatur appellatio, non propterea impeditur, aut suspenditur

- executio. decisum refertur *ibid.* n. 62. *Vi-
de supra locorum piorum cura.* a num. 19.
- 43 Procuratio in visitatione debetur Epi-
scopo frugalis, & moderata, pro tem-
poris tantum necessitate, & non ultra.
Trid. sess. 24. cap. 3.
- 44 Decem personarum computato Episcopo,
& septem iumenta conceduntur. *Pro. 4.*
- 45 Fugiat Episcopus hospitia laicorum,
& eorum contumelia. *ibid.*
- 46 A muneribus abstineat. *Trid. loc. cit.*
- 47 Toleratur acceptio munerum, qua
consumenda sunt ibidem, ne aliò aspor-
tanda. *Villagut. par. 2. num. 21.*
- 48 Neque accipiantur munera ab Vni-
uersitate laicorum. *Genuens. in man. pa-
stor. cap. 35. num. 4.*
- 49 Neque item à quoquam post finitam
visitationem. *idem ibid. num. 5.*
- 50 Quae supersunt victualia, erogentur
pauperibus loci visitati. *num. 6.*
- 51 Si plures personas assumat, quam soli-
ta procuratio ijs sufficere possit, expen-
dat Episcopus de suo Panorm. & alij
apud Felician *in Man. Visitat. li. 1. n. 15.*
- 52 Contribuant procurationi visitationis
ijs Regulares, qui parochialem Eccle-
siam conventui unitam habent. *Congr.
Episc. 27. Aug. 1577.*
- 53 Procuratio ad pecuniam redigenda
non pendet ex arbitrio visitatoris. *ea-
dem 22. Jan. 1601.*
- 54 Nec accipiatur in eo loco procuratio,
vbi habitat Episcopus, decisum sapius
refert *Barb. alleg. 73. nu. 46.*
- 55 Neque ab Hospitalibus, locis lepro-
forum, domorum Dei pauperum, & in-
firmorum, nec à paupere Ecclesia. deci-
sum refert *Leo in Thes. fori p. 2. c. 16. a. n. 41.*
- 56 Neq; à clericis pauperibus. *DD. cum
Barbos. loc. cit. nu. 51.*
- 57 Excluduntur medicinae, sumptus æquo-
rum, plures procuraciones, si vna die
duae visitentur Ecclesia. *Zerol. par. 1. Vi-
sitat. §. 6.*
- 58 Neque Notarii possunt accipere quic-
quam pro labore. *Trid. loc. cit. contra Vi-
lagut. vbi supra,* concedentem aliquid
moderatum, si non habent salarium.
Negant Zerol. loc. cit. & alij.
- 59 Praestari debent vecturae quoq; equo-
rum à visitatis, si Episcopus vere egeat,
& alias impediretur visitatio. *Leo Thes.*
- fori. p. 2. cap. 16. num. 43.*
- 60 Imò etiam diuiti Episcopo, si adest
consuetudo. *Idem ibid. num. 44. & 45.*
- 61 Qui negant procuratorem dare, nisi
ob euidentem paupertatem, possunt
cogi; ab Episcopo quidē proposita eua
excommunicatione, ab inferiore verò
alijs remedijs. *Salod. de visit. par. 2. ca. 1.*
- 62 Vbi etiam probat, dari procurationem
in signum subiectionis: vnde, licet visi-
tator domi suae comedat, potest tamen
recipere procurationem. *DD. citatis
ibid. sed titulus mera subiectionis non
mihi placet.*
- 63 Si accipiat Episcopus vltra praedicta,
non obstante quavis remissione, suspi-
ditur ab ingressu Ecclesiae, donec resti-
tuat duplum, & intra mensem facienda
est restitutio, sub hac poena. *Trid. loc. cit.
ex decr. Ben. X. 11.*
- 64 Restitutio facienda est Ecclesiae graua-
ta. *ibid.*
- 65 Laici ad idem tenentur sub poena su-
spensionis ab ingressu Ecclesiae, & à
communione Eucharistiae. *ibid. cap. exi-
git tit. de cens.*
- 66 Et Episcopus tenetur de facto famulo-
rum suorum, si sciat, aut ratum habeat.
ibid.
- 67 Neque in his valet vlla donantium re-
missio. *ibid.*
- 68 Sufficit restituere simplicem, etiam post-
quam incurrit. *Nauar. consil. 2. de cens.
imò, si distulerit, ante mensem non in-
currit. Zerol. par. 2. Visit. prim. Sed oppo-
sita sententia est communior, & tutior.
Vide Nald. Visitare n. 8.
V. Regularium iura sub Episcopis. n. 14. 54.*

ADDITIO.

- 1 Potest Parochus denud examinari, ab
Episcopo recentiore, ex suspitione
ignorantiae. *Congr. conc. 6. An. 1628.*
- 2 Vbi habitat Generalis alicuius ordinis,
licet curatus sit saecularis, hic non est
subditus visitationi Episcopi Ordina-
rii Diocesis, decisum refert *Lezana in
sum. 9. Regul. cap. 11. num. 9.*
- 3 Visitare potest tanquam sedis Apost.
delegatus Parochiale subiecta Olueta-
nis, & Abbas potest concedere Decre-
ta cumulatiue cum Episcopo; sed qua-
tenus sint contraria, debent praeuale-
re Episcopi decreta, decisum refert 29.

Julij 1628. Barb. de iur. Eccl. l. i. c. 14. n. 21.

- 4 Item Parochiales vnitās monasterio Canoniorum Regularium, licet Generalis habeat in eo loco sedem ordinariam principalem, decisum refert 2. Maij 1595. *idem ibid.*
- 5 Item Parochus S. Io: Ierosolim. curā animarum secularium exercentes tenetur Episcopus tāquam sedis Apostolicæ delegatus visitare gratis, & absq; impensa, & onere Rectorum, decisum refert 26. Iunij 1627. *idem ibid.* n. 22.
- 6 Item in Ecclesijs Regularium animarum curam habentium visitare potest, quomodo asseruentur Eucharistia, paramenta, calices, & alia pro administratione Sacramentorum, decisum refert Fr. Leop. 2. c. 31. num. 3. & Barb. de potest. Episc. alleg. 74. n. 18.

Visitatio inferiorum Episcopo.

- 1 Archidiaconi, & alij inferiores, qui ius habent visitandi, assumant Notarium de consensu Episcopi. Trident. *sess.* 24. *cap.* 3.
- 2 Visitatores a Capitulo ius habente visitationis deputandi, prius ab Episcopo approbentur. *ibid.*
- 3 Neque ideo omittat Episcopus suam visitationem. *idem ibid.*
- 4 Potest Episcopus præscribere Archidiacono comitatum, & equitatum ne sitoneri Ecclesijs. decisum refert Barbos. *alleg.* 73. num. 39.
- 5 Inferioribus visitatoribus non conceduntur personæ ultra octo, & sex iumenta. Prou. 4.
- 6 Si accipiant ultra debitam procurationem, de qua in præcedenti titulo à n. 52. incurrunt suspensionem ab officio, & beneficio. Trid. *l. e. ex Decr. Ben.* XII.
- 7 Archidiaconi, & alij inferiores infra mensem tenentur rationem reddere Episcopo visitationis factæ, & acta integra exhibere, non obstantibus quibuscumque. Trid. *sess.* 24. *cap.* 3.
- 8 Punitos à predictis super eadem re non potest Episcopus denuo punire. Barb. *loc. cit.* num. 31.
- 9 Patroni in ijs, quæ ad visitationem ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum præuentus attinent, se non immisceant, nisi ex fun-

datione illis competat. *idem ibid.*
V. Archidiaconus num. 5.

Visitatio circa canonicos exemptos.

- 1 Cathedralis Ecclesiæ, qua ante Concilium Trident. privilegio, exemptione vel alio iure exemptæ erant à iurisdictione Episcopi, & illæ, quæ habent concordias confirmatas, debent visitari ab Episcopo cum duobus de Capitulo adiunctis, à Capitulo electis Trident. *sess.* 25. *cap.* 6.
- 2 Intellige concordias firmatas ex certa scientia, non in forma communi. decisum 13. Nou. 1586. & refert Gonzal. *ad reg.* 8. *Canc. gloss.* 25. nu. 14.
- 3 Si adiuncti requisiti negligant, vel recuset procedere cū Episcopo, facultas procedendi contra aliquem ex capitularibus exemptis pertinens ad Episcopum, non deuoluitur ad eundem. decisum refertur apud Barb. *alleg.* 73. n. 9.
- 4 Protonotarij exempti possunt visitari sine adiunctis, licet habeant vocem in Capitulo exempto. decisum refertur *ibid.* n. 10.
- 5 Nisi sit contraria consuetudo, vel statutum. decisum refertur *ibid.* nu. 11.
- 6 Contra coadiutores non tenetur Episcopus cum adiunctis procedere, nisi ex forma coadiutoria colligatur oppositum; decisum refert Garz. *in addit. part.* 4. *cap.* 5. nu. 96.
- 7 Potest etiam sine adiunctis procedere ad priuationem Canoniorum ex causa quod ordines suos præbendis annexos non susceperint, decisum refert *idem par.* 3. *cap.* 4. nu. 22.
- 8 Item sine adiunctis potest corrigere, & punire peccata Capitularium, ea pœna, quæ morum magis emendationem, quàm punitionem respiciat. decisum refert Barb. *alleg.* 73. nu. 13.
- 9 Item sine adiunctis potest visitare Capitulares, bona, & eorum administratores, vel cum quibus adiunctis sibi videbitur. decisum *ibid.* nu. 14.
- 10 Et sine ijs visitare corpus Ecclesiæ Cathedralis sacramenta, reliquias, vestes, &c. capellas, capellanias, dotationes, annuaria, pia opera. decisum refertur *ibid.* nu. 16.
- 11 Debet autem Episcopus visitare per se ipsam, & quoties opus fuerit. Trid. *sess.* 6. c. 4.
- 12 Non

- 12 Non potest sine adiunctis profequi delictum Canonici. *Trid. sess. 25. c. 6.*
- 13 Potest sumere suum Notarium, non Capituli. *idem ibid.*
- 14 Et item Fiscum suum, vel alium quem voluerit. *idem ibid.* vbi ait, in consueto tribunali.
- 15 Et in domo sua. *idem ibid.*
- 16 Carcer pro Canonici sit in loco decenti. *ibid.*
- 17 Quomodo se gerat Episcopus in pœnis eorū, *idē sess. 13. c. 1.* nimirum, vt Past.
- 18 Appellatio non datur quoad effectum suspensiuum. *idem ibid.* nisi grauamen sit irreparabile. *et sess. 24. cap. 10.*
- 19 Licet Episcopus procedat, vti delegatus Sedis Apostolicæ, appellatio tamen fit ad Metropolitanum, *decisum refert praxis noua Episc. p. 2. v. sit. §. 3.*
- 20 Adiuncti sunt eligendi initio anni, & à solo Capitulo. *Trid. sess. 25. cap. 6.*
- 21 Eorum auctoritas, extenditur solum ad causas criminales. *ibid.*
- 22 Quandocumque vult Episcopus procedere contra aliquem, etiam extra visitationem. *ibid.*
- 23 Assensus, nedum consilium eorum, est necessarius. *ibid.*
- 24 Non possunt recusari, quia electi à toto Capitulo.
- 25 Eorum votum est vnum: si discordet, & alter eorum adhæreat voto Episcopi, fit sententia. *Trid. ibid.*
- 26 Si discordent ambo ab Episcopo, intra sex dies Episcopus, & ipsi eligant tertium, aliter electio tertij deuoluitur ad viciniorum Episcopum. *ibid.*
- 27 Tertius electus accedat, cui parti voluerit. *ibid.*
- 28 In delictis adulterij, concubinitus, & in atrocioribus, & vbi de fuga timetur potest Episcopus solus ad summariam informationem, & detentionem procedere. *ibid. v. vide supra. clericus concubinitus.*
- 29 Vbi non est crimen graue, neq; timetur fuga, Episc. non potest. *ex eod. ibid.*

A D D I T I O.

- 1 Potest Episcopus procedere sine adiunctis ad penas contra capitulares non obseruantes diem festum ab Episc. edictum. *Congr. conc. 7. sept. 1630.*
- 2 Item si e adiunctis exigere rationes ab

officialibus ex premio capituli constitutis, sede vacante, nisi velit criminaliter procedere, *decisum refert Garz. de benef. p. 5. cap. 7. nu. 23.*

- 3 Contra coadiutores cum futura successione non tenetur procedere cum adiunctis, nisi ex forma coadiutoria colligatur, illis concessa fuisse priuilegia, que habent Canonici exempti, *decisum refert Garz. in addit. p. 4. c. 5. nu. 96.*

Votum.

- 1 Non potest Episcopus dispensare in voto, quo aliena incerta deuota sunt in subsidium terræ sanctæ, vt in alios vsus conuertantur. *Sylu. votum 4. quest. 3. Quintum.*
- 2 Neque in voto temporali Religionis, cum quis obligatur intare, non remanere. *ibid. sextum.*
- 3 Neque in voto intuitu personæ certæ, vel loci, nisi vrgente causâ. *Archid. & alij. Affirmant alij, apud Sylu. ibid. quest. 6. Quartum.*
- 4 Potest in imposta pœnitentia à Papa transmutando votum. *idem ibi. Octauum.*
- 5 Item in voto, quoniam existens in religione laxiori vouet strictiorem. *ibid. q. 3. Sextum.*
- 6 Et vt habens votum simplex de arctiori transeat ad laxiorem. *ibid.*
- 7 Votum peregrinationis ad Ædem Laurentanam esse reseruatam Papæ, dixit Nauarr. & Nald. *votum. num. 32.* allegat breue Greg XIII. sed nunc non attendi in praxi, docet Azor *tom. 1. lib. 11. c. 10. q. 4. falsum cum Naldo supra.*
- 8 Voti reseruati qualitas, puta eundi pedibus ad Sanctum Iacobum, &c. non est reseruata Papæ. *Nald. votum 52.*
- 9 Causæ dispensandi sunt tres: malum, inutile, maioris boni impeditiuum. *Syl. quest. 6. loco citat.*
- 10 Dispensatio nihil loco voti iniungit. *Nauarr. in Man. c. p. 12.*
- 11 Causæ commutandi sunt, impossibilitas, seu incommoditas, vel maior utilitas, arbitrio boni viri. *Sylu. supra.*
- 12 Et saltem sit æqualitas in commutatione. *ibid. quest. 8 secundum.*
- 13 Commutatio voti ad locum pium tutius fit in fauorem eiusdem loci pij, *Nald. supra 72.*

14 Si

- 14 Si ob calamitatē à populo votū Deo fiat, non ante, quā agatur cum Ep. Pr. 5.
- 15 Fiat deinde cum aliqua solemnitate; pridie, uesperi dato cāpanæ signo, adultis omnibus mane conuenientibus, sacra Eucharistia refectis, processione indicta, Missa celebrata, concione de voto habita. Clero loci præsentē, & post offertorium. *ibid.*
- 16 Qui vniuersitas nomine sunt delecti, genibus flexis coram Sacerdote celebrante, in scriptis, voti formulam præscriptam pronuncient. *ibid.*
- 17 Instrumentum voti à Notario confectum, mittatur ad Episcopum, ut in Archiuo ponatur. *ibid.*
- 18 Si perpetuum est, in tabula lapidea incidatur, & indicetur. *ibid.*
- 19 Vbi verò puta ob pestē, conuenire non possunt omnes, alia ratio inueatur, donec fieri possint, quæ supra scripta sunt. *ibid.*
- 20 Vota populorum censentur obligare perpetuo successores, si fiat cum auctoritate Episcopi, non in vim voti, sed præcepti ecclesiastici. *Suar. to. 2. de relig. lib. 4. c. 9. in fin. Nald. v. otium. nu. 9. V. Dispensatio à n. 18. Legatus. nu. 2.*
- Usura.*
- 1 Cambia sicca damnantur, & ficta Pius V. Anno 1571.
- 2 In realibus damnatur dilatio termini solutionis præstituti, lucro recepto ex tacita, vel expressa conuentione, seu etiā promisso tantum. *ibid.*
- 3 Ne à principio, neque aliās, audeant pacifici certum interesse, etiā in casu non solutionis. *ibid.*
- 4 Neque fiant cambialiter, quam primis nudinis, ubi illa celebrantur: ubi vero non celebrantur pro primis terminis iuxta usum locorum. *ibid.*
- 5 In terminis habeatur ratio longinquitatis, seu vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur. *ibid.*
- 6 Qui contra hæc fecerit, usura pœnis subiiciatur. *ibid.*
- 7 Qui congestam vndique pecuniam ita ad se redigunt, ut quasi monopolium pecuniæ facere videantur, pœnis contra exercentes monopolia constitutis subiiciantur. *ibid.*
- 8 Episcopus domos suas locans, vel sub alio titulo concedens ad fœnus publicè exercendum vsurarum hominibus alienigenis, & aliis non oriundis ex terris ipsorum, vel si eos in terris suis habitare permiserit, suspenditur. *Barb. allegat. 111. nu. 24. V. de locum.*
- 9 De alijs superioribus in hac materia Sylu. *v. usura 9. quest. 22.*
- 10 Clericus vsurarius, vel hæres vsurarij, cogitur restituere vsuras sub pœna suspensionis ab officio, & beneficio, & deputationis, idem. *v. usura 6. q. 8.*
- 11 Usurarius manifestus est, qui est notorius de iure, vel de facto, vel qui coram sacerdote, & testibus in articulo mortis confessus est se vsurarium, & mandauit vsuras restitui. idem. *v. usura 9. quest. 1.*
- 12 Potest publicari talis, etiā post mortem. *ibid. quest. 3.*
- 13 Non est admittendus ad sacramenta, neque ad oblationem, nisi idonee caueat pro restitutione. *ibid. quest. 4.*
- 14 Qui recipit oblationem, est suspensus ab officio, donec restituat spoliatis, arbitrio Episcopi. *ibid.*
- 15 Careat vsurarius manifestus Ecclesiastica sepultura. *ibid.*
- 16 Licet mandari restitutionem, nisi re ipsa satisfaciatur, aut pignoribus, aut fideiussione idonea data. *Prou. 2.*
- 17 Parochus eiusmodi hominem sepulturae ecclesiasticae tradens est excommunicatus, ex Constit. Clem. V. Prou. 2. & Sylu. *loc. cit. quest. 4.*
- 18 Alias pœnas temporarias recenset idē *ibid.*
- 19 Cautione data post mortem, potest sepeliri in loco sacro. idem. *ibid. quest. 10.*
- 20 Incertorum restitutio eiusmodi hominum spectat ad Episcopum. idem. *v. de Restitutio 8. quest. 5.*
- 21 Iurans non repetere vsuras, potest ex noua causa admitti ad repetitionem. *Nald. v. usura nu. 6. V. Contractus. n. 1. 15. Testamentum. n. 9.*

L A V S D E O.